









AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
 CONSENSU

TRIA AMORIS ET ODII  
 NATURALIS EXEMPLA,  
 AD CAUSAS PHYSICAS  
 REVOCATA,

PER DEI GRATIAM,  
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

Subjicient

M. FRIDERICUS VON SCHÆWEN,  
 REG. ALUMN. AC COM. CONVICT.  
 INSPECT. SEC.

ET

JOHANNES REINHOLDUS MOELLERUS,

Regiom. Bor.

PHILOS. ET S. S. THEOL. STUD.

DIE XVII. NOVEMBRIS A. R. O. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>cc XXIII.  
 IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM  
 AB HORA VIII. AD XI.

---

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.



NOBILISSIMO ET HONO-  
RATISSIMO

JOHANNI  
HEINRICO  
MOELLERO,

Mercatori vitæ dexteritate  
spectatissimo,

*PATRI SUO OPTIMO,*

Ex filiali amore primitias has Academicas  
cum voto ardentissimo incorruptæ valetu-  
dinis, ac ulterioris conaminum omniaum  
benedictionis divinæ, devota grataque  
mente consecrat

*FILIUS AD TUMBAM USQUE OBEDIENTISSIMUS*  
JOHANNES REINHOLDUS MOELLERUS,  
Respondens.





Axime indignum est Viro docto, in assignandis rerum causis subinde ad qualitates occultas provocare, ad has, inquam, qualitates, quarum ratio reddi nequit, quæque propterea occultæ (\*) vocantur. Non equidem negandum absolute est, dari quasdam, quinimmo multas, quoad nos, qualitates occultas. Cum namque scientia sit universalium, veluti quoque docet ARISTOTELES *Lib. III. Metaphys. cap. IV.* singularia omnia exacte investigari ac excuti non posse, facile largimur. Hæc enim sunt infinita; infinitorum autem scientia ac cognitio vix ac ne vix comparari potest. Hinc Veritatem profiteretur SCALIGER, quando *Exercit. CCXVIII. subtil. contra Cardan.* scribit: *ad manifestas omnia redigere qualitates, summa est impudentia, & vanus utique existit Sophista ille, qui apud PLATONEM se omnia scire Thraconice gloriabatur, dicendo: nemo unquam a multis annis me novi aliquid, quod nescirem, interrogavit.* Interim in omni re ardua, & prima fronte obscura, ad qualitates occultas statim, tanquam ad ancoram sacram, & tribunal summum, a quo ulterius appellandum

A

dum

(\*) Qualitates occultas Græci *ιδιότητες ἀόρατες* i. e. proprietates ineffabiles appellant, sicuti testatur FERNELIUS, *lib. II. de abditis rerum causis c. II.* inquit: *Latent enim obscuritate involuta natura, quæ dum neque evidenter percipi, neque verbis dici possunt, occultæ nobis rerum proprietates appellantur, uti Græcis ιδιότητες ἀόρατοι.*



2  
dum non sit, confugere, inconcinnum atque absonum omnino existit. Quid enim hac ratione occultæ istæ qualitates aliud sunt, quam Ignorantiæ Asyla, & ignaviæ fomes? Sane, multa, quæ Philosophi antiqui recondita & abstrusa, judicarunt ac inter qualitates occultas retulerunt, nostra ætate recentiores feliciter enodavere, certissimo indicio, frustra semper ad qualitates occultas provocari, ac plura, quæ adhuc latent, studio atque inquisitione sedula detegi posse. (\*) Difficile non esset, modo dicta exemplis quamplurimis probare, utque id re ipsa fiat, in dissertatione præsentis Phænomena aliqua, inter quæ Physici etiam Doctissimi, quia horum solutio cognita ipsis nondum erat, amorem ac odium naturale finxerunt, ad causas suas revocabimus. Faxit DEUS feliciter!

§. II.

Initio multi amorem naturalem inter *Heliotropium* (\*\*)  
& *Solem* ex hoc prætendunt fundamento, quia heliotropium

---

(\*) Conferantur, quæ hac de re differit B. STURMIUS in *Phys. sua Conciliatr.* Parte Gener. c. VII. §. VII. VIII. & IX. Legi etiam hic merentur, quæ de qualitatibus occultis judicat BARTHOLOMÆUS KECKERMANNUS in *Systemate suo Physico* Lib. I. c. VIII. Theor. I. & II. pag. 50. seqq.

(\*\*) De heliotropio alias ALBERTUS MAGNUS tradit, quod (1.) si gestetur, gestanti adferat favorem, ut nemini liceat, nisi dextere de illo & sentire, & loqui (2.) si quid fuerit ereptum, modo pulvino dormientis subjiatur flos hic, ipsa furis imago cum omni conditione ei offeratur. Quæ duo, veluti commentum & fabulam, rejicit ZACHARIAS HERMANNUS in *Dissertatione de qualitatibus occultis*, Jenæ A. M. 1765. sub Præsidio M. HERMANNI GURBERI habita, c. III. Artic. I. §. 2. seqq.



3  
pium Soli faciem suam perpetuo quasi opponit. Absit  
vero, ut hanc ob causam amorem naturalem heliotropium  
inter ac solem statuamus, cum ratio (\*) in promptu sit,  
quare heliotropium cum solē circumrotetur, seque sem-  
per in hanc vertat plagam, in qua Sol versatur. Scilicet,  
heliotropium, veluti notum est omnibus, flos non exiguae  
magnitudinis existit, corona aliqua, & caule poroso  
spogiosoque, a natura praeditus. Jam radii solares, dum  
in poros caulis agunt, caulem parte ea molliunt, ut sic  
corona heliotropii pondere suo flectatur in plagam, soli  
oppositam. Sole in cursu pergente, equidem pori caulis,  
antea molles facti, iterum durescunt; interim tamen sol in  
alios caulis poros agit, huncque alio in loco mollem effi-  
cit, ut hac ratione iterum corona heliotropii solem ver-  
sus se convertat. Et hic processus continuatur usque  
dum sol occubuerit, ubi tunc heliotropium pristino vigo-  
ri restituitur, & per noctem stat erectum. Die sequenti,  
si coelum sit sudum, & radii solis in heliotropii caulem  
agere possint, processus modo memoratus repetitur. Nec  
est, ut quis objiciat, falsum esse, quod heliotropia cursum

A 2

solis

---

(\*) Nonnulli rationem istam ponunt in temperamento helio-  
tropii humidiori, mediante quo illud ad solem feratur. Sed  
quo diligentius in Physicis obscuri de rebus conceptus fugi-  
endi sunt, eo minus assensum meretur sententia allegata, si-  
quidem neque satis clare constat, quale sit, & in quo consistat  
temperamentum illud humidius, neque distincte intelligi po-  
test, quomodo mediante temperamento isto heliotropium ad  
solem inclinetur. Equaliter fere comparata sunt ea, quae  
hanc in rem philosophatur ANTONIUS LE GRAND in  
*historia naturae* Parte II. Artic. X. n. XIII. pag. 96.



4  
solis sequantur, & semper eo se convertant, ubi Sol ver-  
satur, cum contrarium quivis experiri facile queat, qui in  
hortum modo introire, diversum ibidem heliotropiorum  
situm attendere, ac observare voluerit, quomodo heliotro-  
pium unum Orientem, alterum Occidentem, tertium Septen-  
trionem, quartum Meridiem, & sic porro, respiciat. &  
Quod heliotropia revera se flectant in plagam, soli obver-  
sam, id a Physicis, fide dignissimis, per sæpe observatum  
est. Quod vero contrarium in aliquibus videatur, hoc  
ipsum certis ex causis contingit. Etenim fieri facile po-  
test, ut heliotropia, quando adhuc tenera sunt, & nondum  
effloruere, a vento, præsertim si stent in loco edito, ac  
procellis valde exposita existant, quassentur, eorumque  
capillamenta rumpantur, ut proinde versus Solem se ver-  
tere nequeant. Accedit, quod pori in caulibus heliotro-  
piorum die in diem fiant contractiores & rigidiores, ut  
Solis vi flecti amplius non possint, unde videris, helio-  
tropia vetusta solem versus non stare. Præterea requi-  
ritur, ut heliotropia plantata sint in loco plano, & undi-  
quaque radiis solaribus exposito, si cum sole continuo se  
circumrotare debeant.

§. III.

Amplius secundo non pauci inter *Naphiam*, oleum  
quoddam maxime inflammabile, germanis *Steinöhl*, *Pe-  
teröhl* dictum, & *ignem* amorem naturalem agnoscunt, quia  
*Napha*, simul ac ei candela ardens, aut alius aliquis ignis  
vel e loginquo (\*) admoveretur, illico flammam & ignem  
con.

(\*) PLINIUS proinde inquit: *Naphie magna cognatio ignium,  
transfluuntque protinus in eam undecunque visam.* Et MAT-  
THIO-



concipit, non secus ac si cum igne ex naturali amore & affectione conjungi cupiat. At enim vero non est, ut hic quoque amorem naturalem admittamus, cum hujus rei detur causa sat probabilis. Nimirum spargit ac emittit Naphta odorem & halitum ut pingvissimum, ita fragrantissimum, qui longe lateque se diffundit. Jam, quando candela ardens, aut ignis quicumque adportatur, spicula odorifera, undiquaque diffusa, sensim sensimque flammam concipiunt, donec tandem ad ipsam napham perveniant, atque hanc quoque accendant. Rem ita revera sese habere, quotidiana docent ac comprobant experimenta. Sit e.g. acervus & cumulus pulveris nitrati. Disperge juxta acervum hunc ac cumulum grana divisa in longam seriem,

A 3

Ac-

THIOLUS de natura naphæ differens hæc habet: Comes Hercules a Contrariis Ferrariensis eo tempore, quo Maximilianus, Romanorum & Bohemæ Rex Pannoniæ coronam suscipiebat, narrabat mihi, suo quodam in prædio se puteum habere, in quo una cum aqua petroleum destillat e terræ meatibus, atque cum rima quadam in putei fundo hiantes exorta essent, e quibus petroleum sensim labebatur, cementarium fabrum se conduxisse, dicebat, qui rimas diligenter obstrueret; at cum artifex sine lumine id præstare nequiret, laternam exposulasse, eamque illi in puteum demissam esse, perquam diligenter occlusam. Verum paulo post evenisse affirmabat, ut petroleum ignium rapax, accensis putei parietibus, & impetoso admodum excitato vapore, non solum cementarium artificem illum, perinde ac e bombardæ extinctum rursus extra puteum ejaculasset, sed etiam putei testum totum in aera evexisset, accensis lagenis nonnullis petroleo plenis extra putei ostium existentibus, quarum igne adstantes quidam maxime læsi sunt. Confer, ex quo modo adducta hausimus, MATTHIÆ MARTINII lexicon Philologicum sub voce Naphta.



Accende postmodum granum primum, & granum hoc successive inflammabit alterum, donec tandem ultimum ad integrum pulveris nitrati perveniat aceryum ac cumulum, ut hic quoque in flammam erumpat, ignisque maximus inde oriatur. Similiter, quando candelam, ceream præfertim, recenter extinctam, & adhuc fumigantem, candelæ ardenti e longinquo admovemus, ellychnium candelæ modo extinctæ flammam tunc iterum concipit. Quæso! unde hoc? Inde, quia particulæ fumigantes candelæ, recenter extinctæ, tendunt ad candelam adhuc ardentem, flammam ibidem concipiunt, & hanc postmodum ad ellychnium deferunt, ut candela extincta de novo ardere incipiat. Eodem prorsus modo rem cum naphtha & igne sese habere, putamus ac fumus persyasi,

§. IV.

Nec minus tertio multi amorem naturalem inter *magnetem & ferrum* excogitarunt. Cum enim magnetis affectiones ac proprietates plane admirabiles, e. g. ejus versus polos mundi conversionem, pro diversitate locorum ab iisdem polis declinationem, cum ferro, vel alio magnete, conjunctionem, distincte explicare non possent, has magnetis affectiones inter qualitates occultas reposuerunt, magnetemque inter ac ferrum, amorem naturalem intercedere dixerunt, vi cuius iste hoc ad se quasi trahat ac alliciat. Verum male & minus recte, quod ipsum ut eo clarius pateat, de Magnete ejusque proprietatibus modo regenitici, aliquantum prolixius jam differendum nobis necessaria-



cessario erit. Est vero magnes lapis (\*), immenso numero pororum, ad invicem parallelorum, pervius & quasi perforatus, ac multis, iisque plane singularibus, proprietatibus conspicuus. Prima magnetis proprietas, ejus conversio, atque in plagam septentrionalem & australem directio, existit. Nam certum magnes in mundo quasi affectat situm, dum latere uno, eum Horizontis locum, quem *Nord*, aut Septentrionem, adpellamus; altero vero opposito, *Sud*, vel Meridiem, respicit. Extra duo ista loca, quæ ejus poli vocantur, quando magnes constitutus est, eousque motu locali movetur, donec illa rursus attigerit, quo facto, quiete fruitur. Secunda magnetis proprietas, ejus declinatio existit, qua non ubique, sed in uno solum meridiano, inter Angliam Hiberniamque a nautis notato, præcise in Septentrionem dirigitur; in aliis autem meridianis, versus ortum vel occasum, eo magis declinat, quanto magis ab illo quasi primo meridiano, in ortum aut occasum discedit. Tertia magnetis affectio, est ejus conjunctio cum ferro, vel alio quodam magnete. Hæ tres magnetis proprietates quoad *res òri* prorsus sunt manifestissimæ, ut negari, aut in dubium vocari non possint; quoad *res òt*: vero, non adeo explicatu faciles existunt, quare etiam acutissimis ingeniis aqua hic hæsit. Plerique  
tamen

---

(\* ) Metallis annumerari nequit magnes, quia salva manente ejus substantia, neque igne liquari, neque malleo duci potest, non obstante, quod iste in fodinis ferrareis præcipue inveniatur, & colore ac pondere ferrum referas.



tamen Physicorum recentiorum, (\*) ab effluviis mundanis, terræ pariter ac magnetis, inter hujus viscera latitantis, poros permeantibus, proprietates magnetis provenire, asserunt. Nam posito (1.) magnetem immenso numero pororum, ad invicem parallelorum, pervium esse & perforatum (2.) effluvia ex unaquaque mundi plaga recta versus terram per ejus interiora ultro citroque fluere (3.) particulas effluviarum, a polo mundi, e.g. Boreali, advenientium, aliter intortas & figuratas esse, quam particulae effluviarum, ab alia quadam mundi parte advenientium, sic, ut in laxioribus quidem terræ poris quævis effluvia admittantur; angustiores autem lapidum magneticorum poros, non omnia promiscue effluvia penetrare queant, sed illa tantum, quæ situm, ad transitum accommodatum, inveniunt. Positis hijs tribus, memoratæ magnetis proprietates facillimo solvuntur negotio. Nimirum magnes ex terra jam exemptus, & in plagam orientalem conversus, effluviis, a plaga hac venientibus, nullum concedit transitum, quia aliter intorta sunt, quam pororum figura postulat. Hinc effluvia hæc, in transitu impedita, magis magisque magnetem movent, versusque septentrionem inflectunt. Quodocunque ergo magnes loca sua duo,

---

(\*) Conferri hic præter alios possunt JACOBI ROHAULTI *Tract. Physic.* Part. III. c. VIII. p. 561. seqq. WOLFERDI SENGVERDII *Philos. Natur.* Part. III. c. XIV. p. 355. seqq. JOH. BAPTISTÆ DU HAMEL *Opp. Philosoph.* Tom. II. lib. II. de corporum affectionibus c. VI. p. 139. seqq. JOH. CHRISTOPH. STURMII *Physica Erotem.* Parte specialif, Sect. I. c. IV. Quæst. VII. seqq. pag. 461. seqq.



duo , Septentrionem & Austrum ; jam obtinuit ,  
 quiete tunc fruitur , quia effluvia coeli libere transe-  
 unt , cum inveniunt poros , ad transitum accommo-  
 datos . Et quia facile fieri potest , ut interna pororum  
 magneticorum dispositio tempore varie immutetur ,  
 effluvia , quæ non amplius tam prompte transire pos-  
 sunt , magnetem sensim sensimque a polis suis declinare  
 & deviare faciunt , vel in ortum , vel in occasum .  
 Quod tandem magnetis cum ferro , aut magnete  
 alio , conjunctionem attinet , effluvia magnetica aerem  
 intermedium sive inter ferrum & magnetem , sive inter  
 magnetes duos , propius ad se invicem admotos , dispel-  
 lunt , ejusque elaterium debilitant , unde aer externus , in-  
 tegro adhuc elaterio suo gaudens , ferrum ad magnetem ,  
 vel duos magnetes ad se invicem , propellit , eodem pror-  
 sus modo , quo halitus iste tenuis & subtilis , quem suc-  
 cinum post affricum emittit , aerem medium inter  
 electrum & stramen , paleam , folium , chartulam te-  
 nuem , & rem leviculam aliam , dissipat , ejusque adeo  
 pressuram quodammodo imminuit ac tollit , ut aer a  
 tergo , quia nullam aut exiguam resistantiam habet ,  
 cum vi quadam versus succinum prorumpat , & pale-  
 am , vel rem quamcunque leviculam aliam una eo  
 protrudat .

S. V.

En tria amoris naturalis exempla , ad causas  
 Physicas revocata ! Placet his tria quoque odii natu-

B

ralis





ralis exempla subjicere, eorumque solutionem investigare. Primo odium naturale inter *homines quosdam* & *feles* dari, vulgo asseritur, siquidem homines certi hujus deprehenduntur esse naturæ, ut felium præsentiam tolerare penitus nequeant, quinimmo per felis cujusdam adpectum admodum vehementer commoveantur, deque hac commotione vehementiori sæpe per externum corporis habitum satis testentur, quare notabile quoddam exemplum ex BARTHOLINO refert CHRIST. BENEDICTUS CARPZOVIVS, in *Kattologia sua* pag. 88 scribens: Es erzehlet Bartholimus *Hist. Anat. Cent. V. P. 192.* von einem Dänischen Edelmann, der so starck gewesen, daß er Eisen wie Bley gebogen, und sich doch aufs eusserste vor Katzen entsetzet, folgendes: Ein guter Freund, bey dem er zu gaste war, wolte ihn über der Mahlzeit, die er köstlich bereiten lassen, probiren, und ließ neben anderen auch eine bedeckte Schüssel, darinn eine Käsewar, auftragen. Ob nun wohl der Edelmann dieselbe nicht sahe, wurde ihm doch sehr angst, welches der, an allen Orten von ihm fließende Schweiß bezeugete. Als man nun die Schüssel aufgedecket, und die Käse den Kopf herfür gestecket, ward der Edelman so sehr entrüstet, daß er seinem Wirth eine solche derbe Maulschelle im Zorn versetzte, daß er auff der Stelle todt bliebe. Jam soluturi singularem hanc felium in hominibus quibusdam aversionem, non simpliciter quidem repudiamus



mus Celeberrimi, dum viveret, Physici alicujus observationem, fieri facile posse, ut quis infans adhuc, & cunis impositus, adpectu felis, muscas, in incubilis cursitantes, capere, aut etiam infantulum hunc arrodere volentis, adeo terreatur, ut postea annis crescentibus felem videre nequeat. Quod enim feles infantulos arrodere soleant, modo laudatus CARPZOVIVS in *Kattologia sua* testatur, pag. 54. seqq. tradens: Zu denen Fischen tragen die Katzen auch grossen Appetit, welches dem Sprichwort Gelegenheit gegeben, das man faulen Leuten vorwirfft: **Die Katze isset gerne Fische, aber ins Wasser will sie nicht** — — Allein darüber solte man sich fast verwunderen, daß sie auch Appetit, lebendige Menschen zu fressen, haben. Wie wir denn lesen, daß *Angelus Paciuchellus* ein Italiänischer Mönch erzehlet, wie eine Katze einem kleinen Kinde in der Wiegen unter dem Springel und Tuche die Hirnschale aufgebiten, und das Gehirne ausgefressen; Die Mutter die sonst was zu thun hatte, hört das Weinen des armen Kindes, besorget sich aber eines solchen Unglücks nicht, kam zu späte, da das Kind todt war. So findet man auch in **Christ. Lehmanns Histor. Schaupl.** nachfolgende Geschichte: Ao. 1674. hat zu **Dittersdorff bey Reichenbach** eine Mutter ein dreyvierteljähriges Kind schlaffen gelegt, und ihren Geschäften nachgegangen. Inmittest hat eine Katze, die sich



in der Kammer verschliessen lassen, dem Kinde die rechte Hand abgefressen, und zwey Löcher in den Kopff gebissen. Doch ist es noch bey Leben erhalten, und geheilet worden. Quod vero etiam de his, qui mala quævis inferre nobis voluerunt, aut re ipsa intulerunt, sine animi commotione ne audire quidem multa, nedum eos conspiciere possimus, notius est, quam ut probatione indigeat. Probabilior interim magisque universalis ista videtur esse sententia, qua asseritur, exspirare feles, præsertim quando catuliunt, odorem pingvem & lascivum, quemadmodum hoc halitu suo docet manus, qua eorum cutis adverso pilo fricatur, cumque odorem illum non omnes homines per naturam suam pati & perferre possint, inde fieri, quod aliqui feles averfentur, horumque præsentiam sentiant, quamvis eos non videant. Et certe, extra omnem dubitationis aleam positum est, effluvia odorifera pro filamentorum, a naso ad cerebrum protensorum, diversitate, diversa subiecta diversimode etiam afficere, ut odor, qui uni gratissimus existit, alteri ingrattissimus sit. Sic SCALIGER *Exercit. CXLII. subtilit.* mentionem injicit Nobilissimæ alicujus virginis, quæ vel solo conspectu lili, cujus fragrantia alias quamplurimos recreat, ita commota est, ut parum abesset, quin in animi deliquium inciderit. Verba ejus sequentia sunt: *Affinis nostra, inquit, virgo quadam pulcherrima atque Nobilissima, solo conspectu lili pene vecors fit, peritura, si naribus*



*ribus hausserit.* Similiter ZACHARIAS HERMAN-  
NUS, in supra ad §. II. disputationis hujus citata dif-  
fertatione sua c. II. Artic. I. §. VI. tradit, *se novisse juve-*  
*nem, magni parentis filium emulum, qui ita solebat vel*  
*solo odore ruta agitari, ut frigidus ferme sudor occuparet*  
*exteriora.*

§. VI.

Secundo inter *homines aliquos & cibos quosdam*  
v. c. caseum, pisces, porculum affatum, ac alios, odi-  
um naturale fingitur. Quotidiana enim experientia  
satis eloquitur, homines multos cibum nonnullum  
tantopere abhorrere, ut sine nausea maxima ac Vomi-  
tu alios, hunc commedentes, vix adspicere queant,  
hacque de re quamplurima Viri docti annotarunt  
exempla. BRUYERINUS Lib. I. *de re cibaria* c.  
XXIV. scribit, se Normannum quendam rusticum  
novisse, qui nec panem, nec carnes, nec pisces, nec  
caseum unquam degustavit, sed sola ova comedit,  
ERASMUS de se ipso testatur, quod a piscibus sic  
abhorrerit, ut vel ad solum odorem protinus gravem  
capitis dolorem non sine febris sentierit. HORSTI-  
US narrat, se Antwerpia hominem quendam obser-  
vasse, qui quoties in convivio porcellum Trojanum  
inferri, & mensæ apponi conspiciebat, statim Syn-  
cope, seu subitaneo virium omnium lapsu, correptus,  
corruebat, multaque alia, his similia, exempla, col-  
legit CASPAR SCHOTTUS *in Physica sua curiosa*



lib. III. Parte III. c. XXVII. qui ibidem pag. 530. in memoriam sibi revocat, quod, cum adolescens adhuc esset, audiendo acceperit ab avo suo de puero quodam rusticano, eum adeo panem, quo tamen humanæ naturæ nihil convenientius, aut ad victum magis necessarium esse videtur, abhorruisse, ut, si inadvertenter, etiam aliis condimentis obvolutum bolum sumpisset, illico ad vomitum provocatus sit. Ut proinde & hic omne odium naturale explodatur, de hujus rei causa jam quæritur. Est vero ista non in omnibus hominibus eadem, sed in diversis diversa. Cunque certissimum existat, naturam humanam uno esculenti genere magis delectari, quam altero, præfracte etiam non negabimus, quorundam hominum naturis cibos hos illosve adversos esse, eorumque stomachum taliter dispositum deprehendi, ut cibos certos respuat, non appetat. Ita de his judicandum putamus, qui, quando, inscii etiam, cibum insolitum comedunt, horrendam in corpore suo percipiunt alterationem, in terram decidunt, labia comprimunt, aut Ventriculum & intestina evacuunt, ac tali in symptomate per aliquot temporis spatium perseverant, veluti **AMATUS LUSITANUS** recenset, fuisse quendam, qui pisces omnes adeo abhorrebat, ut, cum, tempore quodam ab amico ad coenam invitatus, piscis frustum, cibus aliis ab amico involutum, se inscio, comediisset, in tantas animi angustias & cordis pressuras cum vomitu & secessu devenit,



nerit, ut parum abfuerit, quin spiritus eum deficeret, ac moreretur. Concedimus porro, homines quosdam aliquando, a ciborum nonnullorum esu propterea alienos esse, quia, dum in utero materno gestati sunt, matres eorum a cibis his abhorruerunt. Quid mirum enim existit? si quis, in mundum editus, hoc non appetat nutrimentum, quod in utero materno recipere solitus non fuit. Hinc non raro quoque contingit, ut, quod LIBAVIUS tractatu de *Antipathia* matri cujusdam commilitonis sui accidisse putat, quæ mater prægnans abhorrebat fraga, ea postea proles etiam abhorreat. Interim & possibile est, quod aliqui in prima infantia sua cibi cujusdam, quem forsân vel nimium & nimis avide, vel cum repugnantia quadam ventriculo immiserunt, ingens tantumque fastidium sibi acquisiverint, ut adulti cibum illum ne videre quidem, nedum comedere queant, veluti, si quis jusculum comederet, & forte fortuna araneam dentibus contereret, is per casum hunc tale sibi acquireret fastidium, ut hoc esculenti genus assumere amplius non possit. Aut, si quis semel catapocia, vel pillulas deglutivisset, quæ nimis ipsi alvum purgassent, is catapocia hæc, & pillulas has, postea adeo averfaretur, ut ad nudum eorum adspectum jam caligas arripiat, & &c — Præterea dif-  
fitendum minime venit, non paucos a cibo quodam se abstinere, inde, quod sibi imaginentur, istum va-  
letudini suæ noxium esse, aut ex alio etiam præjudi-  
cio,





cio, & præconcepta quadam opinione falsa, Sunt sane hodie adhuc, qui e.g. fraga fastidiunt, quia existimant, sub iis latibula sua habere bufones, aut carnem suillam comedere nolunt, licet fateantur gratissimum eam habere saporem, quoniam audiverunt, medicos quosdam dicere, ejus esum lepram efficere. Hic anguillas abhorret, quod persuasum habeat, illas ex cadaveribus solummodo generari, & angvibus esse quam simillimas. Ille ova non gustat, quia scit gallinas multas impuritates ac vermes deglutire, Tertius adduci non potest, ut hunc capeat cibum, quem alter tetigit. Hinc, quamvis sapidissimi apponantur fructus, quamprimum isti a commensali quodam vel per jocum attrectantur, hos relinquit, Quinimmo, si quis mensæ illotis assideat manibus, vinum aut cerevisiam sumere ex illo recusat poculo, quod alius apprehendit, Tandem superstitio ingeniique levitas sæpe ac frequenter in causa sunt, quod aliqui cibos quosdam abhorreant. Huc non immerito referuntur isti, qui v. c. porcellum assatum *cum capite nondum dissecto* conspicere nullo modo possunt. Simulac vero caput amputatur, porcellum hunc non solum videre, sed etiam carnem ejus summa cum voluptate & desiderio comedere valent, Plura jam tacemus,

§. VII.

Tertio odium naturale inter *vitem & brassicam* intercedere creditur, idque sequenti ex ratione, quia ambæ istæ plantæ, juxta se satæ, simul non procreant,



cunt, sed una efflorescente, altera marcescit, & una marcescente, altera efflorescit. Rem acu, ut ajunt, in phænomeno hoc solvendo vix tangunt, qui ad succum nutritium provocant, ac dicunt, ambas modo nominatas plantas copioso indigere alimento, indeque esse, ut, dum non procul a se invicem distitæ sunt, altera alteri succum nutritium subtrahat, sicque vitis in brassicæ, & contra brassica in vitis vicinia minus feliciter progerminet, siquidem vitis non adeo copiosius nutrimentum requirit, & alias ex eodem fundamento, multæ aliæ plantæ, quarum unaquæque æque copiosum, ac brassica & vitis, pro sui nutritione exigunt alimentum, juxta se positæ, simul non efflorescerent, id quod tamen experientiæ manifestissime repugnat. Vera autem & genuina ejus causa est, quoniam brassica, tanquam planta valde bibula, inter alia agrum humidum ac umbrosum postulat; vitis e contrario, quæ minus bibula existit, agrum siccum & calidum amat. Hinc brassica tempore arido sæpe rigatur, & sole valde ardente, aqua conspergitur, ne flavescat & corrumpatur. Sed vinum in montibus, aliisque locis editis plantatur, quo Sol impedit eo pertingere, radiisque suis continuis uvarum maturitatem procurare ac accelerare queat. Cum itaque Vitis & brassica diversum prorsus solum velint, quid mirum, si in uno eodemque agro juxta se invicem plantata, simul non procrecant? Aut enim ager iste est humidus & umbrosus, & tunc brassica efflorescit, marcescit Vitis. Aut siccus existit atque calidus, tuncque Vitis efflorescit, marcescit brassica.

C

§. VIII.



## §. VIII.

Unicum adhuc, antequam præsentem tractationem nostram finiamus, monendum necessario venit, amoris nimirum & odii vocabula abusive, & non nisi per translationem, de brutis rebusque inanimatis, e.g. heliotropio, Naphta, felibus, Vite, ac reliquis, adhiberi, cum amor & odium proprie in homines tantum, judicio & voluntate libera præditos, non similiter in bruta resque inanimatas, cadant. Enimvero oritur amor ex cognitione boni alicujus, ad nos relati, & odium ex cognitione mali alicujus, ad nos relati, proficiscitur. Ut autem quis bonum in re amanda, ac malum in re odio habenda cognoscere, atque postea ad bonum obtinendum, ad malum e contrario fugiendum, inclinari queat, judicio & voluntate præditus sit, oportet. Jam in brutis ac rebus inanimatis judicium & voluntas exulant. Ergo amor odium, que iis non proprie, verum abusive, atque per translationem solum, attribui debent.

T A N T U M.





01 A 6505

7

ULB Halle 3  
002 937 298  


kur 10. Stck 7A-70C  
bücher verknüpft


V.D.R. V.D.R.











Farbkarte #13

B.I.G.



47.

ACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
CONSENSU

MORIS ET ODII  
ALIS EXEMPLA,  
SAS PHYSICAS  
VOCATA,

EI GRATIAM,  
RUDITORUM EXAMINI

Subjicient

US VON SCHÆWEN,  
N. AC COM. CONVICT.  
NSPECT. SEC.

ET

NHOLDUS MOELLERUS,

Regiom. Bor.

T S. S. THEOL. STUD.

MBRIS A. R. O, clō lccc XXIII.

RIO PHILOSOPHORUM

DRA VIII. AD XI.

ITTERIS REUSNERIANIS.